

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput VII

urn:nbn:de:bsz:31-97032

CAPUT VII.
DE CAMMARO & CONCHA
MARGARITIFERA.

Cammarus cancer est fluviatilis: In ejus capite bini lapilli, globi dimidiati, plenilunio reperiuntur figura. *Agricola* vesci carne dicit. Nam & in nassis rodit lucium. *Alb.* & carnibus in Danubio navibus alligatis, inque aquam suspensis, magnam cancrorum adherere multitudinem scripsit *Gesnerus*. Junio mense ad pascua exire, ranas appetere, & herbis vesci quidam prodidere. Lacte sine aqua potatus, multos vivit diebus. In aqua per dies tredecim vivum conservavit *Gesnerus*. In vino sublimato & accenso positus statim rubescit, & vivus inter coctos apponi potest. *Georg. Pictorius*. Mares à fœminis facile discernuntur. Nam illis ea parte qua corpus ad caudam continuatur subius, quatuor longæ & prominentes adsunt virgulæ, desunt his. Cauda etiam illorum rotundior, planior ac spissior est. Pulverem ex oculis eorum cum aqua foliorum perfici potum, post venam sectam. *Leonellus Faventinus*, ad notham commendat pleuritidem. Dentes infricatus pollen dealbat & purgat. *Concha margaritifera* interdum tam grandis in India reperitur, ut referant, in Mari Insulæ Borneo inventam, cujus caro pondo septem & quadraginta librarum pependerit: de quo tamen dubitari possit.

CAPUT VIII.
DE COCHLEA.

Cochlea quas Pomatias Dioscorides appellat, plurimæ in montibus Tridencinis reperiuntur, illæque præstantissimæ. Eruuntur è terra & frutetis hyeme, uncis quibusdam ferreis, prope fruticum radices circumfossa terra. Contra frigoris injuriam albo reguntur ope-